



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

LX. Engelbertvs II. XXXIX. [Arch.] XXIII. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

ne utendum ratus, cum Coloniae civibus ad lites pronissimis res magni momenti varias discussit atque composuit. Sedit ab an. 1225. usque ad an. 1237. turbatissimis in Imperio temporibus.

LIX. CONRADVS, XXXVIII. ARCH.
XXII. ELECTOR.

Conradus Comes de Höchsteden per annos 24. difficultates tulit & ærumnas maximas; à Wilhelmo quippe Juliaensi Comite captus, novem mensibus in durissima captivitate delituit. Annos ætatis suæ ultimos potissimum consecravit ingentis operis & pretii templo, Divorum Magorum honoribus consecrato. Suorum temporum Salomonem dixerunt multi Conradum: Salomonis tamen opera aut facinora posteritati legenda non ritè scripserunt, si ædem excelsam demas, de qua Poeta ita canit:

Conradus summi struxit fastigia templi,
Atque Ubia Salomon alter in urbe fuit.

Morti succubuit an. 1261.

LX. ENGELBERTVS II, XXXIX.
XXIII. ELECTOR.

Engelbertus Comes de Valckenburg circa annum 1260. Imperio Romano inter seditiones & cædes publicas lugente, luxit & ipse sortem suam tristissimam, cum Coloniae cives urbem patriam in libertatem plenissimam asserturi tentarent extrema omnia, Bonnæ interea violenta remedia meditante Engelberto, Stratagemate & cuniculis Coloniae expugnationem tentandam esse, unà cum Electore rati non pauci, sibi tumultum struxerunt, dum concubia nocte per occultos terræ meatus ingressi, sed simul à foedifrago socio proditi, ad unum omnes sunt enecti, ipso Electoris fratre desiderato. Amicis igitur consiliis,

Y 3

non

non verò armis cum civitate agendum ritè persuasus, pacem dedit & impetravit, cum Phrygibus doctus sapere. Annis 14. veriùs pugnavit, quàm quievit: excipe annum mortis 1275.

LXI. SIFFRIDVS, XL. ARCH.
XXIV. ELECTOR.

Siffridus ex præclaro Westerburgorum stemmate ortus, instituit cruentis Engelberti II. vestigiis, aut longè superavit, gladio magis, quàm consilio usus, ut vim vi frangeret. Quare haud veritus arma ipse induere, & in arenam descendere, at in eadem captus ab hoste Montensi Comite Adolpho, annis 7. libertatem frustra desideravit: tandem verò liberatus, mox totis viribus redintegrato bello ea fortunâ certavit, ut Adolphum inter victos atque captivos ductum, talionis poenam subire mandârit modo planè barbaro. De fine captivitatis desperandum erat ante omnia alia Adolpho; modum ut mitigaret victor, vix ausus est sperare, præsertim cùm ferreæ caveæ nudum Comitis corpus inclusum, & melle oblitum vespis & muscis patere iussit, exemplo inter hostes Christianos hætenus inaudito. Hujus Electoris etiam causâ interdicto Ecclesiæ subiecta Colonia multo languit tempore. Annis 24. non sedit, sed sæviit ad annum 1298. usque.

SECULUM XIV.

LXII. WICHBOLDVS, XLI. ARCH.
XXV. ELECTOR.

Wichboldus ex Illustrium Baronum de Holte natus sanguine, & Colonia legitimis in Archipræsulem electus calculis, omnem quamprimum movit lapidem, ut Metropolis sua interdicto soluta, ovis instar perditæ reduceretur ad pastorem suum. Laudem hanc unam & maximam
Wich-